



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 11. Incarnationis fines nobis salutare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

eundem ipsum, quem genuerat, misit in Mundum; ut non esset unus, sed fratres haberet adoptivos. Sylveira hic q. 45.

Tunc cœlum terra facta est, cum cœli Dominum contineret; quem omnibus manifestavit, ubique clarâ voce professa, cœlorum Regem adventasse. Sanct. Chrysostom. hom. 11. in Joan.

Magna mihi gloriatio, Domine, quod pro me cœlum, sidera, & alias creaturas, fecisti: sed multo sine comparatione mihi major gloriatio; quod pro me formam servi accipiens factus es similis mei. Magna mihi gloriatio, quod me cunctis animantibus præposuisti; sed sine ullâ comparatione major mihi gloriatio; quod pro me te Dominum universæ Creaturæ uai puellæ Virgini, & fabro, subdidisti. S. Laurent. Just. de incend. am. c. 4.

Corona nostra Caro Christi est; per hanc regnum cœlorum possidemus. S. Thom. Vill. l. 2. in Nat. D.

§. XI.

*Incarnationis fines nobis salu-
tares.*

Factus est homo in imaginem. Genes. 2. 7. Adam factus est ad formam Dei, ut esset dominus omnium: & CHRISTUS factus est ad formam hominis, jam miseri, ut esset servus omnium. Hugo Card. hic.

Ex ea, quæ fuit Uria. Math. 1. 6. Notandum: in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas, quas Scriptura reprehendit: ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus natus, omnium peccata deleter. Sanct. Hieronym. lib. 1. c. 1. in Matth.

Conversabatur DEUS, ut homo divina agere doceretur. Ex æquo agebat DEUS cum homine, ut homo ex æquo cum DEO agere posset. DEUS pusillus inventus est, ut homo maximus fieret. Tertull. l. 1. adv. Marcionem.

Relinquentes homines Deum, fabricaverunt idola: Deo itaque in humana naturâ falsò adorato, DEUS verè homo factus est, ut solveretur saltum. Sanct. Cyrill. Jeros. Catech. 12.

Sicut cum picta uspiam imago exterioribus foribus ferme fuerit oblitterata, rursus illum advenire necesse est, cujus est forma, ut in eadem tabula possit imago renovari: Ità, & sanctissimus Filius, imago scilicet Patris, ad

nostra descendit; ut factum ad imaginem suam hominem renovaret, ac per remissionem peccatorum ante perditum inveniret. Sanct. Athanasius Alex. lib. de Incarnatione Verbi.

Quia Verbum ipsum mori possibile non erat, quippe immortale; corpus sibi, quod mori posset, assumpsit: ut ipsum quasi proprium pro omnibus immolaret. Idem ibidem.

Quid est illius Incarnationis Dominicæ mysteriò factum? nisi ut divitiâ unirentur, & discordantia pacarentur. S. Fulgentius l. 2. ad Monimum.

Propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo. Sanct. Leo l. 1. in Nat. D.

Ideo filius hominis est factus, ut nos filij DEI esse possimus. Idem l. 6. in eadem fol.

Gaudeamus, quia venit regnurus in terra, ut nos cum illo regnare possimus in cœlo. S. Chrysol. l. 144.

Ad vitiatam, læsamque imaginem, imaginis ipsum auctorem, bonitatis cum coloribus reformaturum mittit. S. Basilius Seleuc. Orat. de Incarnat. D.

Venit secundus Adam, ut imaginem in nobis suam, ac similitudinem, exemplis suis restauraret. V. Beda hexam.

Tota dispensatio Humanitatis CHRISTI nihil aliud intendit, nihil aliud fecit; nisi ut intentionem nostram ad superna dirigeret; & expletò tempore nostræ mortalitatis, ad manifestandam visionem sui perduceret. B. Ivo Carnot. l. in Ascens.

Inducta nostræ confusione miseræ beatæ Misericordia Dei; ut ab ipsa liberati æternâ beatitudine potiremur. Simon Cass. de gest. Salv. l. 1. c. 2.

§. XII.

Incarnatio honoranda.

Fueruntque ei obviam Angeli Dei. Genes. 32. 1. Agar apparet unus Angelus. Genes. 16. 7. Et Gedeoni Judic. 6. 11. Et Marti Samson Judic. 13. 3. At verò Jacob obviam plurimi. Disparitatem dat Sanct. Gabriel Luc. 1. 32. *regnabit in domo Jacob.* Cum in ejus domo jam CHRISTI sedes cernebatur; non mirum, quod certatim omnes Angeli ad ipsum veniant. Vide Origenem tom. 2. Sylveira in Luc. 1.

